EPICEDIA,

QVIBUS

PRÆMATURUM OBITUM,

VIRI

CONSULTISSIMI ET DOCTISSIMI,

DN. JOHANNIS CŽIMMER-MANNI,

REGIÆ CIVITATIS THORUNIENSIS

SECRETARII

BENE MERITI,

Qvi d. XI. Febr. hora qvarta pomeridiana anno CIↃIↃCCVII

occidebat

IPSO EXEQVIARUM DIE

XVII. Febr.

Prosequi, & mœstissimos Parentes unicum lugentes filium, Viduamq; insperato mariti funere afflictam solari studebant,

RECTOR ET PROFESSORES

GYMNASII THOR.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

QVid Tibi blande Parens? qvid vos mihi sangvine juncti?
Qvæ saevi cœpit nunc urere flamma doloris
Viscera, qvi tandem Vestros tremor irruit artus?
Cur rigor infestat qvasi ducto compede lingvam
Infirmam, multumqve loqvi vox deficit ausis?
Et sterili fœdat cur culmine tecta cupressus
Funesta & qvoddam designat flebile damnum?
Non mea mors optata mihi finisqve laborum
Materies poterit Vobis tantæ esse qverelæ,
In terris eqvidem nondum sex lustra peregit
Ætas, atqve dies cunctis visæ amplius ire.
Ast hæc vis fati, constans hic ordo Jehovæ,
Demonstraturo, sibi soli cuncta subesse,
Spesqve hominum dubias ejus moderamine flecti.
Imber decutit ut nitidos de culmine flores,
Ut segetes lætas immissa grandine sterni
Conspicimus, miseri ac eludi vota coloni.
Sic, fateor, mecum spes mersas esse meorum.
Sed si qvi vixit bene, jam vixisse putatur
Ille satis, mihi jam in terris satis esto dierum.
Et cur non satis? ærumnas curasqve relinqvo,
Fessaqve nunc placida recreantur membra qviete,
Illi haud vos fugiunt atroces pectoris æstus,
Atqve graves animi fluctus morsusqve maligni,
Qveis erat expositum langvens & debile corpus.
Omnia jam vici mala, dispulsoqve veneno
Morbi, nec turbat qvicqvam solatia mentis,
Verbo: me tenet æternæ pax grata salutis.
Nec mihi nobilior poterat contingere voto.
Hæc qvæso in mentes ægras demittite vestras,
Amplius haud signet tristes pia lacryma vultus.
Mox erimus juncti, lætis amplexibus omnes
Excipiam, vos expectant jam gaudia cœli.

Ita Magnif. Virum, unicum lugentem filium, & ceteros propinqvos, sub hoc funere perculsos, persona B. defuncti solari conabatur,

M. P. JAENICHIUS, R.

Pli-

Plinius Lib. V. Ep. XXVI.

Crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atq; ultro reqvirit: Sic recens animi dolor conſolationes rejicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acqvieſcit. conf. Lib. I. Ep. XII. circa fin.

Sit cos, ſit ſaxum, ſit vel Marpeſia cautes,
Qvi nollet patrii fata dolere ſoli.
Pulchrum eſt palmiferæ pacis dulcedine duci:
Pulchrius eſt veræ pacis honore frui.
Aſt ubi qværenda eſt? totus namqve æſtuat orbis
Bellorum flammis. Pax ſuper aſtra volat.
Qvodcunqve aſpicio, nihil eſt niſi Martis imago:
Mars tumidus verbis, enſibus ille minax.
Heu mihi qvam grandi feriuntur bella boatu!
Qvantus ab Arctoo perſonat axe fragor!
Et qvæ non tandem cogemur adire pericla?
Nî nos dextra DEI firma potensqve tegat.
Publica ſunt oculis hæc obverſantia damna,
Qvæ cum mœſtitia fœmina masqve gemit.
Aſt alium ſentit jam mœſta Thoruna dolorem,
Pectoribusqve ſuis concipit atqve coqvit.
Non eſt de nihilo, cum SECRETARIUS * urbis
Dat præmaturæ colla novella neci.
Vivere, qvi fuerat prolixos dignus in annos.
Dum Patriæ tulerat commoda magna ſuæ.
Officiis promptis cum noſtræ ſubvenit urbi,
Ut candela ſuo deficit officio.
Ille fuit ſacri, Civilis & ancora juris,
Vas legum, patrii ſtella jubarqve fori.
Externas felix lingvas callebat ad ungvem,
Qveis Ipſi a multis conciliatus honor.
Cum qvondam noſtræ calcavit limina Muſæ,
Impiger in ſtudiis egregiusqve fuit.
Non ſtetit in latebris, docto ſed prodiit ore
Declamans, certans, carmina clara ferens.
Non nudus ſpectator erat, ſed ſedulus auctor
Sudoris docti propoſitiqve ſcopi.
Poſt adiit terras ferventi ſole calentes,
Immenſasqve ſibi conciliavit opes.
Hinc honor oblatus Noſtro eſt, qvem rite polivit,
Ingenùaqve fide, judicioqve gravi.
Jam jacet extinctus febri morboqve maligno,
Dilectiqve PATRIS mors fit acerba ſui.
Flebilis en! Mater Natum deplorat ademptum:
Et Generum Socrus, mœſta Marita Virum.
Qvid facitis? Luctu ne Vos maceretis acuto:
Ad Dominum rediit qvod fuit ante ſuum.
Depoſitum voluit DEUS ad ſe ſumere charum,
Qvod Vobis certo tempore reſtituet.

Spiri-

Spiritus in cœlis vivit, vivusqve triumphat,
Despicit & sordes qvisqviliasqve soli.
Inter nos vixit longævo tempore: qvando
Nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

In solatium Antiqvæ & Ampliss. familiæ Czimmermanianæ unici Filii præmaturam mortem acerbe dolentis scr.

M. MARTINUS Böhm.

* *Cum malis ministris poterit Princeps in negotiis suis efficere aliqvid; at non cum imperito Secretario. Stomachus est, ubi digeruntur negotia, & si concocta male inde prodeant, caduca erit & brevis vita gubernationis. Repetantur memoriâ tempora retro præterita, & statim apparebit, nullum unqvam statum rite & feliciter gubernatum fuisse, nisi eum, qvi insignes habuit Secretarios.* Plura, qvæ hujus sunt argumenti, legantur ap. *Did. Saavedram* Symb. Polit. LVI.

NUllus erat, nec erit, causas qvi mortis ad ungvem,
Qvotqvot sunt, omnes commemorare qveat.
Nam si judicio rationis credere fas est
Edoctæ multis usibus atqve modis:
Si varii casus, si tot discrimina vitæ
Pensentur recte, qvæ subit omnis homo,
Myriadas tot causarum memorare valebit
Nemo, nec capiet nomina sola aliqvis.
Omnia, qvæ sunt à Superis concessa saluti
Humanæ, vergunt ejus in exitium.
Perversus qvando rerum dominatur abusus,
Qvando decens ordo deficit atqve modus.
Lethales pariunt vitiati in corpore morbos
Humores qvatuor: Phlegma, Melancholia,
Sangvis cum Cholera, nec non äer vitiatus:
Cumqve cibo potus, somnus & excubiæ.
Accedunt æstus, fluctûs & frigidus horror:
Omnia qvæ dici mortis origo solent.
Exemplo doctos præsentis Funeris ergo
Sensibus expertis credere nemo vetat.
Hic Vir erat juvenis tam animo qvàm corpore præstans
Dum jussu Procerum suscipiebat iter.
Verùm correptus riphæo frigore febrim
Contraxit rediens, qvæ audit acuta, domum.
Hæc adeò diris ussit fervoribus artus,
Hic Vir ut Egregius vivere desierit.
Qvi publicis rebus prodesse paratus & aptus
Spem Patriæ magnam fecerat atqve Patri.
Sed spes cunctorum mors præmatura fefellit,
Præcipuè Patris jam sine prole senis.
Attamen haud Isti deerit solamen, honesto
Qvòd fuit extinctus Natus in officio,
Illi nil potuit contingere honestius unqvam,
Succubuit publico qvàm qvòd in hoc opere.
Semper honos, nomenqve Ejus, laudesqve manebunt
Qvi Patriæ propriis commoda præposuit.

Paucula ista memoriæ & honori sui qvondam discipuli charissimi, tunc Amici & Fautoris desideratissimi lugens scribebat

M. MARTINUS BERTLEFFIUS.